

Videns autem multos saduceorum et phariseorum uenientes ad baptisma eius dixit eis. Genimina uiperarum quis ostende uobis fugere a uentura ira?

Qualiter igitur ait christus, quoniam non crediderunt iohanni? Quoniam non erat hoc credere, predicatum ab ipso non suscipere. Quoniam et prophetis uisi sunt intendere, et legislatori, sed tamen dixit eos non intendisse, quoniam prophetatum ab ipsis non susceperunt. Si enim credidissetis **ait** moysi, credidissetis utique michi. Et post haec autem, interrogati a christo baptisma iohannis unde est, dixerunt. Quoniam si dixerimus a terra, timeamus turbam. Si autem dixerimus a caelo, dicet nobis, qualiter non credidistis ei? Quare ex omnibus his manifestum est, quia ueniebant quidem et baptizabantur, non tamen manebant in fide predicationis. Etenim iohannes monstrat eorum maliciam ex his quos ad **baptistam** mittebant dicentes. Si tu es helias, si tu es christus. Ideoque induxit. Qui autem missi erant, fuerant ex phariseis. Quid igitur? Nonne et turbe idem estimabant ait? Sed turbae quidem ex mente, non ficte hoc oppinabantur, pharisei autem capere uolentes. Quoniam enim confessum fuerat a castello dauid uenire christum, hic autem de leuitica tribu erat, insidias ponebant ex interrogatione, ut siquid tale dixerit, uelociter instent. Hoc nimirum et ex his quae deinceps sunt manifestauit. Nichil enim eorum quae estimabant eo confitente, et ita capiunt dicentes. Quid igitur baptizas, si tu non es christus? et ut discas quoniam alia quidem pharisei alia autem plebs mente uenit, audi qualiter et aeuangelista hoc manifestauit. De plebe quidem dicens, quoniam ueniebant et baptizabantur ab ipso, confitentes peccata sua. De phariseis autem non adhuc similiter. Sed quoniam uidens multos phariseorum et saduceorum uenientes, dixit. Genimina uiperarum quis ostende uobis fugere a uentura ira? Pape de magna mente qualiter loquitur ad homines sanguinem semper sicientes propheticum, et serpentibus nullo melius dispositos. Qualiter et ipsis et genitoribus cum multa detrahit confidentia. Vtique ait. Sed confidentia quidem multa est. Quod autem queritur est, si rationem habet aliquam confidentia haec. Neque enim peccantes uidebat, sed transmutatos, ideoque **neque** incusare oportebat sed laudare, et placere, quoniam ciuitates relinquentes et domos, currebant ut audirent predicationem. Quid igitur dicemus? Quoniam non presentibus neque his quae fiebant intendeat, sed ineffabilia cordis eorum nouerat deo hoc reuelante. Quoniam igitur magna sapiebant in progenitoribus, et haec causa perditionis eis facta est, et in desidiam immisit, radicem presumptionis incidit. Propter hoc et helias principes sodomorum uocat, et populum gomorre. Et alius propheta ait. Nonne ut filii ethiopum uos estis? et omnes ab hac suspitione eos abducunt, inflacionem eorum euacuantes, quae infinitorum malorum facta est causa. Sed prophetae quidem ait decenter, peccantes enim uidebant. Hic autem quare et propter quid hoc facit attractos eos uidens? Vt molliores operetur. Si autem aliquis cum diligentia intendet his quae dicuntur, et laude increpationem miscebit. Ammirans enim eos quoniam uel sero potuerunt quae impossibilia eis fere esse uidebantur, haec dixit. Increpatione igitur haec attrahentis eos magis est et preparantis uigilare. Cum enim uideretur stupefactus, et anteriorem eorum monstrat maliciam multam existentem, et transmutationem mirabilem et inopinabilem. Quid enim factum est ait? Quoniam **pueri** existentes illorum, et ita male educati penitentiam egerunt. Sed ad nos unde tanta facta est transmutatio? Quis asperum mentis eorum mollificauit?

Commented [ND1]: [fol.34va]

Commented [ND2]: uel se *add. super lin.*

Commented [ND3]: [fol.34vb]

Commented [ND4]: filii *add. super lin.*

Quis autem insanabile **direxit**? Et uide qualiter eos confestim ex proemiis stupidos fecit, gehenne sermone premitens. Non enim dixit quae assueta erant, quis ostendit fugere uobis prelia, **barbarorum** incursus, captiuitates, fames, pestilentias, sed aliud quoddam supplicium preenarrabat, numquam eis manifestum factum, ita dicens. Quis ostendit uobis fugere a uentura ira? Bene autem eos et genimina uiperarum uocauit. Etenim illa fera corrupens **pressuram pacientem** et deorans uentrem eius, ita dicitur exire in lumen, quod et hii faciebant. Parricidae patris et matris effecti, et doctores suis manibus corruptentes, sed non stat usque ad increpationem sed et consilium inducit. Facite ait fructus dignos penitentiae. Non enim sufficit fugere maliciam, sed et uirtutem oportet multam demonstrare. A contrariis enim et consuetis cum per paruum tempus abstinueritis, ad eandem ne redeatis rursus maliciam. Non enim **ob eadem** ueni, **obque** et anteriores prophetae. **Alterata** enim presentia sunt, et excelsiora, quoniam et ipse uenit ammodo iudex, ipse regni dominus ad maiorem ducens philosophiam, ad caelum uocans, et ad eas quae illic sunt commemorationes attrahens. Ideoque gehenne sermonem reuelo. Etenim et bona et tristitia, immortalia sunt. Ne igitur in eisdem maneatis, neque assuetas premittatis occasiones, abraham, ysaac, iacob, progenitorum nobilitatem. Haec autem dixit, non prohibens eos dicere, ex illis se esse sanctis, sed prohibens non in hoc confidere, uirtuti quae secundum animam est non insistentes, et ea quae in mente erant in medium proferens, et futura predicens. Etenim postea uidentur dicentes, nos patrem habemus abraham, et nulli seruiuimus unquam. Quoniam igitur hoc erat quod maxime eos in **despectionem** erexit et perdidit, primum ipsum **constringit**. Vides autem qualiter cum honore patriarchae horum facit directionem? dicens enim ne uideamini dicere quoniam patrem habemus abraham, non dixit, nichil enim **uobis** patriarcha prodesse poterit, sed mansuetius quodammodo et micus hoc ipsum enigmatae insinuauit dicens. Potest enim deus ex lapidibus his, erigere filios abraham. Quidam igitur aiunt, quoniam de gentibus haec dixit, lapides eos metaphoricam uocans. Ego autem et aliam intelligentiam aio habere quod dictum est. Qualem autem hanc? Ne estimetis ait, quoniam si uos pereatis, sine filiis facietis patriarcham. Non est hoc. Deo enim possibile est, et ex lapidibus homines ei dare, et incognationem illam ducere, quoniam et a principio in sarra ita factum est. Ex lapidibus enim generari homines simile fuit a matrice illa procedere puerum, quod et propheta enigmatae insinuans dixit. Inspicite ad firmam petram ex qua excisi estis, et ad profundum laci ex quo effossi estis. Inspicite ad abraham patrem uestrum, et ad sarram quae expressit uos. Huius igitur prophetae eos rememorans, et monstrans quoniam et a principio ita mirabilem eum fecit patrem, ac si et ex lapidibus ipsum fecisset, possibile et nunc hoc fieri. Et uide qualiter et terret et incidit. Non enim dixit quoniam erexit iam, ut non desperent de seipsis. Sed quoniam potest erigere. Et non dixit quoniam potest homines facere ex lapidibus, sed quod multo maius erat, et cognatos et pueros habrahe. Vides qualiter interim amouit eos ab imaginatione quae est circa corporalia, et refugio quod est ad progenitores? ut in propria penitentia et sobrietate, spem salutis habeant. Vides qualiter carnis abiciens cognationem, eam quae a fide est inducit? Intuere qualiter igitur et per ea quae deinceps sunt, auget hunc timorem, et intentat **agoniam**. Dicens enim quoniam potest deus ex lapidibus his erigere filios abraham, induxit, iam autem et securis ad radicem arborum iacet, per omnia sermonem terribilem faciens. Etenim et ipse multam a **uita** propalationem habebat, et illi uehementi indigebant uerberatione, multo iam tempore terrestres effecti. Quid enim dico ait, quia casuri estis a cognatione quae est ad patriarcham, et uisuri estis alios ex lapidibus in uestrum inductos primatum. Neque enim usque ad hoc poena erit uobis sed et ultra procedet supplicium. Iam enim ait securis ad radicem arborum iacet. Nichil terribilius hac tropica locutione. Non **iacet** enim terebellum acutum, neque maceriei destructio, neque conculcatam esse uineam, sed securis uehementer incidens. Et quod utique est difficilius, quoniam et in ianuus est

Commented [ND5]: emendauit *add. super lin.*

Commented [ND6]: [fol.35ra]

Commented [ND7]: uel parturientem *add. super lin.*

Commented [ND8]: uel in eisdem *add. super lin.*

Commented [ND9]: uel ut *add. super lin.*

Commented [ND10]: diuersa *add. super lin.*

Commented [ND11]: presumptionem *add. super lin.*

Commented [ND12]: uel corrigit *add. super lin.*

Commented [ND13]: [fol.35rb]

Commented [ND14]: trepidationem *add. super lin.*

Commented [ND15]: [fol.35va]

Commented [ND16]: uel scriptatur *add. super lin.*

ipsa. Quoniam enim prophetis continue non credentes dicebant, ubi est dies domini, et ueniat consilium sancti israel ut cognoscamus, quia post multa multociens tempora quae dicebantur eueniebant, et ab hac eos abducens mitigatione, prope eos statuit mala. Et hoc monstrauit in dicendo, iam et radici eam esse abductam. Nullum enim medium iam est ait, sed ipsi **iniacet** radici. Et non dixit ramis neque fructibus, sed radici, monstrans eis si desides fuerint incurabilia passuros mala, et neque spem habituros curationis. Neque enim seruus est qui aduenit ut qui prius uenerunt, sed ipse est qui uniuersorum est dominus, uehementem inducens punitionem et potentissimam. Sed tamen et terrens rursus non dimittit eos in desperationem incidere, sed quemadmodum superius non dixit quoniam erexit, sed quoniam potest erigere filios abrahamae, terrens simul et mitigans, ita et hic non dixit quoniam tetigit radicem, sed quoniam iniacet et coniungitur radici, et nullam **ardationem** monstrat. Verumptamen et ita prope eam ducens, **in uobis esse** dicit incisionem. Si enim transmutemini et efficiamini meliores, abscedet nichil operans securis haec. Si autem **in eisdem** maneatis, radicitus euellet arborem. Propterea neque desistit a radice, neque iniacens incidit. Hoc quidem ut non desides sitis, hoc autem ut discatis quoniam possibile est, et in breui tempore transmutatos saluari. Ideoque undique auget timorem, erigens eos et impellens ad penitentiam. Etenim a progenitoribus cadere, et alios pro ipsis inductos esse, et in ianuis esse mala, et intollerabilia passuros esse, quae utraque per radicem et securem significauit, sufficientia erant et uehementer resuppinos erigere, et in agone constituere. Hoc itaque et paulus manifestans, dixit. Quoniam sermonem **concisum** faciet dominus in uniuerso orbe terrarum. Sed ne timeas, magis autem time quidem ne desperes autem. Adhuc enim habes spem transmutationis. Non enim per se explicabilis est haec **enuntiatio**, neque ad incidendum securis uenit, quoniam quid prohibebat eam incidere coniunctam radici? sed ad te timore hoc faciendum meliorem et ad preparandum afferre fructum. Propterea induxit. Omnis igitur arbor non faciens fructum bonum, exciditur et in ignem mittitur. Cum autem dicat omnis, expellit rursus primatum qui est a nobilitate. Etsi enim ipsius abrahamae nepos fueris ait, etsi decem milia numeraueris patriarchas, duplicem sustinebis punitionem, sine fructu manens. Ab his uerbis et publicanos terruit, et militarem mentem concussit, neque in desperationem mittens, et a desidia **eruens** uniuersa. Cum timore enim et multam consolationem habet quod dictum est. Indicendo enim non facere fructum bonum, monstrauit quia quod facit fructum, ab omni eripit poena. Et qualiter poterimus ait facere fructum incisione **iniacente**, et tempore ita arto existente, **et** conditione sic abbreviata? Poteris ait. Non enim talis est hic fructus, qualis est qui est arborum. Tempus expectans multum, et horarum necessitatibus seruens, et multa alia indigens operatione. Sed sufficit uelle, et arbor confestim germinauit. Non enim natura radicis solum, sed et ars agricolae ad talem fructificationem maxime confert. Propterea enim ut non haec dicant, quoniam turbas nos et festinas et redarguis, et securim apponens, et incisionem minans fructus, in tempore punitionis expetens induxit, monstrans facilitatem fructificationis, ego quidem baptizo uos in aqua, qui autem post me uenit forcior me est, cuius non sum dignus corrigiam calciamenti soluere. Ipse uos baptizabit in spiritu sancto et igne. Per haec monstrans quoniam **mente** sola et fide indiget, non laboribus et sudoribus, et quemadmodum facile est baptizari, ita facile est transmutari et fieri meliores. Concutiens igitur eorum mentem timore iudicii et expectatione, et nomine securis, et ablatione progenitorum, et inductione aliorum filiorum, et duplici punitione, et incisionis et incendii, et undique eorum mollificans duriciem, et constituens in desiderium ereptionis tantorum malorum, tunc inducit sermonem de christo, et non simpliciter sed cum multa excellentia. Deinde medium sui ipsius et illius ponens, ut non uideatur gratiam faciens hoc dicere, a comparationem eorum quae ab alterutro dantur, hoc comprobatur. Non enim confestim dixit non sum dignus ut soluam corrigiam calciamenti, sed prius uilitatem baptismatis sui ipsius

Commented [ND17]: inminet *add. super lin.*

Commented [ND18]: uel dilationem *add. super lin.*

Commented [ND19]: uel in uestra potestate *add. super lin.*

Commented [ND20]: [fol.35vb]

Commented [ND21]: id est abbreviatum *add. super lin.*

Commented [ND22]: uel sententio, uel executio *add. super lin.*

Commented [ND23]: liberans *add. super lin.*

Commented [ND24]: uel imminente *add. super lin.*

Commented [ND25]: [fol.36ra]

Commented [ND26]: consilio *add. super lin.*

ponens, et monstrans quod nichil amplius habet quam ut ad penitentiam eos ducat, non enim dixit quoniam aqua remissionis sed penitentiae, ponit et quod est illius, quod ineffabili est dono plenum. **Vt** enim non audiens ait quoniam post me uenit contempnas eum ut posteriorem, uenientem post sui ipsius **doni** uirtutem, scies manifeste quoniam nichil dignum dixi, neque magnum, dicens non sum dignus soluere corrigiam calciamenti. Quare cum audieris quoniam fortior me est, ne estimes secundum comparisonem me hoc dicere. Neque enim inter seruos illius ordinari sum dignus, neque inter seruos ultimos, neque uilissimam ministerii suscipere particulam. Propterea non simpliciter dixit calciamenta, sed neque corrigiam, quod ultimum omnium uidebatur esse. Deinde ut non estimes humilitatis esse ea quae dicta sunt, inducit et eam quae a rebus ipsis est demonstrationem. Ille enim uos baptizabit in spiritu sancto et igne. Vides quanta est baptiste sapientia? Cum enim ipse predicat, terribilia omnia dicit, et agoniam immittentia. Quando autem ad illum mittit, benigna sunt, et restaurare sufficientia. Non enim securim neque arborem incisam et combustam et in ignem missam, neque futuram iram in medium ducit, sed peccatorum remissionem, et pene destructionem, et iusticiam, et sanctificationem, et redemptionem, et adoptionem, et fraternitatem, et hereditatis communicationem, et spiritus sancti copiosam traditionem. Haec enim omnia enigmatica insinuabat dicens, baptizabit uos in spiritu sancto. Et ipsa metaphorica locutione, copiositatem gratiae ostendens. Non enim dixit dabit uobis spiritum sanctum, sed baptizabit uos in spiritu sancto, et in **expositione ignis rursus uehemens** et **inretentibile gratiae** demonstrans. Intellige itaque quales necesse erat fieri audientes, excogitantes quoniam **secundum prophetas** repente erunt, **et secundum magnos illos**. Propter hoc denique et ignis meminit, ut in intelligentiam eos memorie illorum ducat. Etenim quaecumque fere eis uisiones apparuerunt, plures earum per ignem apparuerunt. Ita moysi locutus est in rubo deus, ita iezechieli in cherubin. Intuere autem qualiter et erigit auditorem primum ponens quod post omnia debebat fieri. Oportebat enim occidi agnum, et peccatum destrui et dissolui inimicitiam, et sepulturam fieri et resurrectionem, et tunc spiritum aduenire, sed horum nichil dicit interim, sed primum quod ultimum est, et per quod omnia illa fiebant, et quod maxime sufficiens erat **eius dignitatem** predicare, ut cum audierit auditor quoniam spiritum accipiet tantum, querat apud seipsum qualiter et quomodo hoc erit peccato dominante ita? ut accipiens ipsum sollicitum et preparatum ad auditionem, ita de passione sermonem inducat, cum nullus iam scandalizaretur expectatione talis doni. Ideo rursus clamabat dicens. Ecce agnus dei qui leuat peccatum mundi. Non dixit qui dimittit, sed quod maioris erat affectionis qui leuat. Non enim est aequale dimittere simpliciter, et ipsum assumere. Hoc quidem enim non **periculose** fiebat, **hoc** autem cum morte. Et rursus dixit quoniam filius dei est, sed neque hoc magnam audientibus dignitatem significabat. Neque nouerant nondum proprium eum intelligere filium. A tanta autem spiritus datione, et illud **constituebat**. Propter hoc utique et pater mittens iohannem, hanc ei demonstrationem primam dignitatis **aduenientis** dedit dicens. Super quem utique uideris spiritum descendentem et manentem, hic est qui baptizat in spiritu sancto. Ideoque ipse ait. Ego uidi et testimonium perhibui, quoniam hic est filius dei, ut ab hoc et illo, iam manifeste declarato. Deinde quoniam benigna dixit, et reduxit auditorem, et **remissum** fecit, rursus restringit ut non efficiatur deses. Tale enim est genus iudaicum, a benignis facile pigritabantur, et deteriores fiebant. Propterea rursus inducit terribilia dicens, cuius uentilabrum in manu eius. Superius enim punitionem dixit, hic autem et iudicem monstrat, et supplicium immortale inducit. Comburet enim ait paleam igni inextinguibili. Vides ipsum rerum dominum, et ipsum existentem agricolam ut et patrem? Alias enim hoc dicit. Pater enim mens ait agricola est. Quoniam enim dixit securim, ut non estimes labore indigere rem, et difficile **diudicabilem** esse, ex alia re et facilitatem inducit, monstrans omnem mundum eius existentem.

Commented [ND27]: [fol.36rb]

Commented [ND28]: remissionis *add. super lin.*

Commented [ND29]: uel commentatione *add. super lin.*

Commented [ND30]: uel uehementem *add. super lin.*

Commented [ND31]: uel retentibilem *add. super lin.*

Commented [ND32]: uel gratiam *add. super lin.*

Commented [ND33]: ad instar prophetarum *add. super lin.*

Commented [ND34]: [fol.36va]

Commented [ND35]: christi *add. super lin.*

Commented [ND36]: uel sine periculo *add. super lin.*

Commented [ND37]: affirmabat *add. super lin.*

Commented [ND38]: christi *add. super lin.*

Commented [ND39]: [fol.36vb]

Commented [ND40]: uel segregabilem *add. super lin.*

Non enim utique non suos punisset, nunc quidem igitur omnia mixta sunt. Etsi enim apparet fulgens frumentum, sed tamen cum paleis iacet ut in area, non ut in apotheca. Tunc autem multa erit diiudicatio. Vbi nunc sunt qui gehennam non credunt? Etenim duo posuit, et quod baptizabit spiritu sancto, et quod comburet eos qui non sunt persuasi. Si igitur illud credibile est, et hoc omnino. Propter hoc enim duas prelocutiones posuit, ut ab ea quae iam facta est et ea quae nondum contigit credi faciat. Etenim christus multis in locis hoc facit. Multociens quidem in eisdem rebus, multociens autem in contrariis duas ponens prophetias, et hanc quidem hic tribuens, hanc autem in futuro promittens, ut ab ea quae iam facta est, et ei quae nondum facta est credant qui sunt litigatores. Etenim his qui propter ipsum exuti sunt omnia, centuplum promittebat dare in presenti uita, et uitam aeternam in futurum. Ab his quae iam data sunt, et futura digna fide constituens, quod utique et iohannes hic fecit, duo ponens, quoniam et baptizabit spiritu, et comburet igni inextinguibili. Si itaque non baptizasset spiritu apostolos, et omnes assidue uolentes, posses utique et de illis dubitare. Si autem quod maius et difficilius esse estimatur, et omnem superexcedit rationem, et factum est et cotidie fit, qualiter quod facile est, et secundum rationem fit, non ais esse uerum? Quoniam enim dixit quia baptizabit spiritu sancto et igni, et magna hinc promisit bona, ut non deses efficiaris priora omnia derelinquens, induxit uentilabrum, et iudicium per hoc apprens. Ait enim. Ne utique estimetis sufficere baptisma, si mali postea fueritis. Oportet enim nos et uirtutem, et multam philosophiam habere. Propterea in gratiam et lauachrum a securi eos impellit. Post gratiam autem, a uentilabro et igni inextinguibili terret, et eorum qui ante baptisma sunt nullam facit diiudicationem, sed simpliciter omnem arborem non facientem fructum bonum incidit, infideles uniuersos puniens. Post baptisma autem diuisionem quandam operatur, quoniam multi credentium, indignam fidei uitam erant demonstraturi.

Commented [ND41]: uel segregatio *add. super lin.*

Commented [ND42]: [fol.37ra]

Nullus igitur fiat palea neque flabello facile sit mobilis, neque perniciosus concupiscentiis immoretur, ubique facile ab ipsis proiectus. Si enim manseris frumentum, etsi temptatio inferetur, nullum pacieris malum. Etenim secundum aream uehiculitrochi id est rote si lenes fuerint, frumentum non incidunt. Si autem in paleae incideris inbecillitatem, et hic intollerabilia pacieris incisis ab omnibus, et illic immortalis subicieris supplicio. Omnes enim tales, et ante caminum quae illic est, esca irrationabilibus hic efficiuntur passionibus, quemadmodum palea inrationabilibus animalibus, et illic rursus materia et esca igni. Nude quidem igitur dicere, quod ipse discernet quae efficiuntur, non ita facit facile susceptibilem sermonem. Commiscere autem parabolam, et per hanc approbare omnia, et magis suadebat, et cum ampliori mitigatione attrahebat auditorem. Ideoque plura sic eis ipse loquitur. Aream, et messem, et uineam, et torcular, et agrum, et sagemam, et piscationem, et omnia consueta, et in quibus nutriti erant, suis sermonibus commiscens, quod et baptista hic fecit, et demonstrationem maximam tribuebat eorum quae dicebantur, scilicet spiritus dacionem. Qui enim tanta potest ut et peccata dimittat et spiritum tribuat, et haec multo magis poterit ait. Vides qualiter iam mysterium consequenter premittebat resurrectionis et iudicii? Et cur ait non dixit quae confestim futura sunt ab ipso signa et prodigia? Quoniam hoc maius omnibus erat, et propter hoc omnia illa efficiebantur. Capitulum enim ponens omnia comprehendit, mortis solutionem, peccatorum destructionem, maledictionis peremptionem, prolixorum preliorum liberationem, ingressum in paradysum, ad caelos ascensum, cum angelis urbanitatem, futurorum bonorum communicationem. Etenim hic arrabon illorum est. Dicens itaque hoc, dixit et corporum resurrectionem, et signorum quae hic sunt demonstrationem, et regni communicationem, et bona quae oculus non uidit, et auris non audiuit, et in cor hominis non ascenderunt. Omnia enim haec per illud carisma nobis tribuebat.

Commented [ND43]: Morale undecimum, de iuditio, et quod non uirandum. *notum in marg.*

Commented [ND44]: uel in area *add. super lin.*

Commented [ND45]: id est sine tempore *add. super lin.*

Commented [ND46]: [fol.37rb]

Commented [ND47]: uel seminationem *add. super lin.*

Commented [ND48]: dicebat *add. super lin.*

Commented [ND49]: uel fient *add. super lin.*

Commented [ND50]: uel hec arra *add. super lin.*

Superfluum igitur erat de signis dicere quae confestim euenire et uisu iudicari debebant. Sed de illis debebat dicere de quibus dubitabant. Puta quoniam filius dei est, quoniam supereminens iohanni, incomparabiliter. Quoniam leuat peccatum mundi, quoniam uindictam expetet eorum quae facta sunt, quoniam non usque ad presens sunt nostra peccata, sed illic dignam quisque sustinebit punitionem. Haec enim uisui representare interim non erat. Haec igitur cognoscentes, multo studio utamur, donec **sumus** in area. Etenim possibile est nobis hic existentibus, et ex palea transmutari in frumentum, quemadmodum et a frumento multi effecti sunt palea. Ne igitur desides simus, neque a uento omni circumferamur, neque a **fratribus** nostris abscidamur, etsi parui etsi uiles uideantur esse, quoniam et frumentum secundum mensuram quidem palea est minor, secundum naturam autem melior. Ne utique exteriores imagines uideas, igni enim sunt preparate, sed humilitatem quae est secundum deum **solidam** hanc et insolubilem et incidi non potentem neque ab igne cremabilem. Propter hos enim et paleae parcit, ut ab ea quae ad eos est colloquutione, meliores efficiantur. Propter hoc nondum est iudicium, ut communiter omnes coronentur, ut a malicia multi transmutentur in uirtutem. Tremamus igitur parabolam hanc audientes. Etenim inextinguibilis est ille ignis, et qualiter ait inextinguibilis? Nonne uides hunc solem ardentem semper et numquam extinctum? Non uidisti rubum ardentem et non combustum? Si igitur uis et ipse effugere flammam, **immisericordiam** depone, et ita neque experientiam assumes ignis illius. Si enim hic credideris his quae dicuntur, neque uidebis caminum hanc, abiens illuc. Si autem non credideris ei nunc, illic per experientiam bene nosces, quoniam neque effugere possibile est. Etenim ineuitabilis est poena, his qui non rectam monstrant uitam. Neque enim sufficit credere solum, quoniam et demones contremiscunt deum, sed tamen et ita puniuntur. Ideoque multi nobis studii secundum hanc uitam est necessitas. Propter hoc enim et **hic** nos continue congregamur, non ut intretis solum, sed ut et aliquid fructificetis ab ea quae hic est mora. Si autem adueneritis quidem semper, nichil autem hinc fructificantes recedatis, nichil ab eo qui hic est ingressu et sessione erit uobis amplius. Si enim pueros ad magistros mittentes, si uiderimus inde nichil fructificantes, uehementes accusatores magistrorum efficimur, et ad alios multociens eos transponimus, quam habebimus excusationem, neque quantum in **terrenis** his tantum uirtuti tribuentes studium, sed uacuos semper apices domum ferentes, quamuis et plures et maiores hic sint magistri. Etenim et prophetas et apostolos, et patriarchas, et iustos omnes assidue uobis in aecclesia magistros constituimus, et neque ita fit aliquid amplius, sed si duos psalmos uel tres subsonantes, et consuetas orationes simpliciter et ut contingit facientes discesseritis, estimatis hoc uobis sufficere in salutem. Non audistis prophetam dicentem, magis autem deum per prophetam, quoniam populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe distat a me? Vt igitur non hoc et a nobis fiat, dele litteras magis autem sculpturas, quas diabolus in tua impressit anima, et fer michi cor a uitae huius tumultibus liberum, ut cum ocio quae uolo inscribam, quia nunc nichil aliud est cognoscere quam illius litteras, rapinas, auaricias, inuidiam, emulationem, propter hoc utique cum apices accipio uestros, neque legere possum. Non enim inuenio litteras quas nos secundum unamquamque dominicam inscribentes dimittimus, sed alias pro aliis in articulatas et peruersas. Deinde cum delentes scripserimus eas quae sunt a spiritu, recedentes uos et diabolicis actibus dantes corda uestra tribuitis illi rursus suas pro meis in uobis inscribere. Quis igitur erit horum finis? Etsi ego non dixerero, uniuscuiusque conscientia nouit. Ego enim non quiescam quod meum est faciens, et rectas litteras inscribens. Si autem uos nostro nocetis studio, nobis quidem merces est immobilis, uobis autem nichil uolo graue dicere, sed supplico rursus et deprecor, saltem puerorum paruulorum immitamini circa haec studium. Etenim illi primum quidem **typum** addiscunt elementorum. Deinde **uersa** ea legere meditantur, et tunc lectionis uiam quae ex ipsis est ambulant. Sic utique

Commented [ND51]: uel erimus *add. super lin.*

Commented [ND52]: [fol.37va]

Commented [ND53]: firmam *add. super lin.*

Commented [ND54]: uel immisericors esse desisse *add. super lin.*

Commented [ND55]: in ecclesia *add. super lin.*

Commented [ND56]: [fol.37vb]

Commented [ND57]: modum *add. super lin.*

Commented [ND58]: corrupte *add. super lin.*

et nos faciamus, diuidentes uirtutem, discamus prius non iurare neque deierare, neque accusare. Deinde ad aliam lineam uenientes, non emulari, neque corpora concupiscere, neque uentri intendere, non crudeles, non desides esse, ut ab his rursus ad spiritualia transeuntes, meditemur continentiam et uentris despectionem, sobrietatem, iusticiam, gloria esse pociores, et mites, et mente contritos, et copulemus haec ad inuicem et inscribamus nostris animabus. Et haec omnia in domo, in amicis, in uxore, in pueris exercitemur, et interim a primis facilioribus incipiamus. Puta a non iurando, et hoc elementum continue meditemur in domo. Etenim multi sunt qui impediunt domi meditationem hanc. Etenim et famulus irritat, et mulier tristsans, in iram immittit, et puer non discens, et inordinata faciens, in minas et sacramentum educit. Si itaque in domo continue ad his prouocatus, direxeris non attrahi in iusiurandum, facile et in foro poteris manere irreprehensus. Neque mulierem conuitians neque famulum, neque alium quendam. Etenim mulier multociens laudans aliquem et miserum uocans, seipsam accendit in iniuriando ei, sed tu ne cogaris accusare laudatum, sed fer omnia uiriliter, etsi famulos alios uideris dominos laudantes, ne turberis sed sta uiriliter. Agon sit, et palestra uirtutis, domus, ut illic bene exercitati, cum multa doctrina his qui in foro immittaris. Hoc et in uana gloria fac. Si enim meditatus fueris non uane gloriari in muliere et famulis, in nullo iam alio facile capieris hac passione. Vbique enim haec egritudo est tyrannica, maxime autem cum mulier affuerit. Si ergo illic dissoluerimus eius uirtutem, facile eam et in aliis uincemus. Et in aliis autem passionibus hoc idem faciamus, in domo exercitati aduersus eas, et per singulos dies eis instantes. Et ut facilius nobis hoc fiat gymnasium, et increpationem nobis ipsis inferamus cum quid prepositorum excesserimus. Sit autem et increpatione haec rursus, non dampnum sed mercedem habens, et lucrum tribuens maximum. Hoc autem est si ieiuniis intensis, nosmetipsos condempnauerimus, et terrae cubilibus, et alii tali durae uitae. Ita enim undique nobis multa uenient emolumenta, et hic uoluptuosam uirtutis uiuemus uitam, et futuris pociemur bonis, et dei continue erimus amici. Sed ut non utique eadem efficiantur rursus, et ammirantes hic quae dicta sunt, abeuntes simpliciter, et ut contingit apicem mentis uestrae proicientes, non tribuatis diabolo haec delere. Sed recedens domum quisque, uocet mulierem suam, et annunciet haec, et accipiat auxiliatricem, et ab hodie in optimam hanc ingrediatur palestram, oleo utens spiritus largitione. Etsi semel etsi bis etsi multociens cecideris exercitatus, ne desperes, sed sta rursus et luctare, et non prius desistas usquoque preclaram indutus fueris aduersus diabolum coronam, et in thesauro qui furto auferris non potest, iam reconde uirtutis possessionem. Si enim in consuetudine bonae huius philosophiae teipsum constitueris, neque pigritans iam poteris transgredi aliquid iniunctorum, consuetudine firmitatem naturae imitante. Quemadmodum enim dormire facile est, et comedere et bibere, et respirare, ita erunt et quae uirtutis sunt nobis facilia, et sinceram fructificabimus uoluptatem, in non procelloso portu sedentes, et tranquillitatem continuam assumentes, et cum multo honore nauim ad illam applicantes ciuitatem. In illa die et incorruptilibus pociemur coronis, quibus fiat omnes nos frui. Gratia et misericordia domini nostri ihesu christi, cui gloria in secula seculorum, amen.

Commented [ND59]: uel ordinem *add. super lin.*

Commented [ND60]: [fol.38ra]

Commented [ND61]: uel esto *add. super lin.*

Commented [ND62]: uel erit *add. super lin.*

Commented [ND63]: [fol.38rb]

Commented [ND64]: solidi *add. super lin.*